

069

067

073

063

078

058

118

018

168

Ende

Anfang

54

quatuor digitis a morte distare probavit, cum parietes navis  
in spissitudine habeant quatuor digitos. Interrogatus etiam,  
quae naves essent tutiores? respondit: illae, quae in terra extra  
mare jacent; in mare nullam asserens esse securitatem, propter  
multiplicia et repentina pericula. (**B**) Grassante igitur hac  
terribili tempestate, ecce subito et ex insperato de coelo  
adjutorium advenit. Inter fulgura enim et coruscationes aparuit  
lux quaedam stans supra proram in aëre aliquantulum fixa.  
Deinde paulatim se movit per gyrum Galæae usque ad puppim  
et ibi evanuit. Fuit autem lux illa radius igneus longitudinem  
cubitus habens. Hanc lucem cum gubernatores Galèotæ et  
marinarii caeteri vidissent, et peregrini qui superius erant,  
cessaverunt ab omni labore, et siluerunt ab omni strepitu et  
clamore, et provoluti ad genua extensis in caelum manibus  
mediocribus votibus nihil aliud promebant, quam Sanctus,  
Sanctus, Sanctus. Porro nos inferius mysterium ignorantes,  
perterriti de subita quiete et silentio, et de insolita oratione;  
aestimavimus eos a laboribus cessasse propter desperationem,  
et Sanctus clamare propter instantem exspirationem, et  
stabamus attoniti, finem eventus exspectantes. Et ecce quidam  
ostium, quod supra foramen commune Galæae, per quod de  
superioribus in carinam descenditur, removit, et aperuit, et  
supra scalam stans, clamavit verbis Italicis. O Signior pele-  
grini non habeate paura que questo note non avereto fortuna:  
quod tantum sonat: O Domini peregrini nolite timere, quia  
hac nocte et praesenti tempestate nihil mali patiemur, quia  
consolationem de caelo habuimus. Post hoc perseverante  
tempestate, recurrebant Galèotæ ad solitos labores, et jam  
non ullulabant ut prius, sed laetis clamoribus jubilantes  
laborabant. Non enim laborant nisi cum clamore. Nemo autem  
aestimet, quod jam dicta de luce sint ficta aut fabulosa, sed  
sunt verissima, et ea plus quam ducentorum testium assertione  
hodie in humanis viventium probare possem. Nequaquam  
enim abbreviata est manus domini, ut salvare non possit in  
tribulatfione existentes. Sed quis meruerit hanc miraculosam  
liberationem Deus scit, qui etiam Ethnicis et Idolotatis in  
talibus periculis clamantibus miraculose succurrit. Dum enim  
impetu maris volvuntur anxia necessitate incassum ad surda

